

imponat, qui distinctio salario solet conduceri; tunc potest famulus se refarcire, quia nemo præsumitur velle servare gratis, nisi id expresserit, aut intentionem servandi gratis habuerit.

2648. Id dixi de famulatu extraordinario, nempe de alio famulatu notabili, qui à persona distincta, & pretio distincto fieri solet; quia sunt plures ordinarii famulatus, qui ultra conventum, à famulis gratis præstari solent dominis, adeoque non possunt licite de illis se refarcire. *Vide in pag. 4. Prop. 37. ab Innoc. XI. damn.*

2649. Dominus non tenetur in conscientia salarium famulo in infirmitate solvere, sicut non tenetur conductor pensionem, solvere, quando non utitur re conducta ob defectum locatoris. Valde tamen laudo piam consuetudinem, quæ Panormi extat quamplurimum nobilium, qui integrum salarium famulis in infirmitate solvunt; ceteros ad opus charitatis tam sanctum enixè moneo.

QUÆRES I:

2650. Dominus volens plures tabulas depingere, vocavit pictorem; at quia furcum discordes in quantitate pretii, ei ad pingendum se obtulit famulus, qui perfecerit picturas, sed nullum ei fuit solutum pretium: An possit occultè se refarcire?

Resp. posse, si non fuit facta conventio, nec habuit intentionem pingendi gratis; quia dignus est operarius mercede sua; & quando agitur de labore, & opera notabili, nemo præsumitur velle præstare gratis, nisi expresserit. At non debet sumere pretium, ut alii pictores, sed minus, uti ultroneus venditor suæ industriae, & operæ. In quo pretio computari debet defectus famulatus, si notabiliter ob picturam à famulatu defecerit. *Vide num. 2463.*

QUÆRES II:

3651. An liceat Christianis surripere à Turcis, & Mauris?

Ut solita claritate procedam, dicam priùs de Christianis existentibus in partibus Turcarum, & Maurorum, postea de Turcis, & Mauris existentibus in partibus Christianorum. Quantum ad Christianos existentes in partibus Turcarum, & Maurorum.

2652. Certum est, quod Christiani, qui injustè ab infidelibus captivi detinentur, ejusmodi sunt, qui detinentur à Turcis, aut Mauris, licet possint à dominis particularibus surripere quantum sufficit, ut redimantur, & est necessarium ad fugam & iter ad suos, ex Decr. S. Congr. S. Officii 13. Augusti 1630. apud Dianam p. 5. tract. 13. ref. 98. & Peyr. de Priv. tom. 3. cap. 4. num. 43.

2653. Quod autem servi Turcarum possint, tam à suis dominis, & ab eis, à quibus sunt injuria affecti, seu capti, surripere quæcumque voluerint, docet Diana cit. Idque nedum ratione compensationis injuriarum captivæ libertatis, &c. & damnorum

in suis negotiationibus, & bonis ob absentiam à patria; verum etiam jure belli, & ex præsumpta Christianorum Principum voluntate. Turcæ namque sunt publici hostes, & Christianorum dominia, ac bona tyrannicè usurpaverunt, & possident, unde Principes Christiani habent contra eos jus perpetuum bellum gerendi, & spoliandi, & compensandi: ac quia non valent ex se ipsis id immediatè ad æqualitatem præstare, rationabiliter præsumunt, illud privatis fidelibus concedere, maxime ad hostium vires debilitandas. Unde in part. 7. tract. 7. resol. 11. concludit: *Sed me consulente Servi Christiani à Turcis fugientes, bona ab ipsis sublata secum sibi retineant, & expendant, etiam in quacumque maxima quantitate.*

2654. Imò eadem ratione in part. 5. cit. cum Molin. idem extendit ad Christianos liberos in terris Turcarum manentes; cum hæc tamen limitatio, ut non adit scandalum, damnum aliorum Christianorum, mendacium, perjurium, aut fractio fidelitatis, ad quam tenentur, qui sub fide Regia ibi morantur, aut negotiantur. Et aliqui putant (sequitur Diana) etiam in his casibus peccare quidem Christianos, bona Turcarum surripiendo; non teneri tamen ad restitutionem. 1. Quia contra charitatem, religionem, aut fidelitatem peccant, non contra justitiam commutativam. 2. Quia restituendo auferent vires hostibus Ecclesiæ. 3. Quia licet non quoad modum, quoad substantiam præstimitur consensus Principum Christianorum. Addit tamen:

2655. (Sed ego hanc sententiam non approbarem, in casu, quo inter Christianos, & Turcas adesset tempus treguæ, vel alicujus salvi conductus, in his enim casibus non potest præsumi consensus Principum, neque quoad substantiam, neque quoad modum.) Ita Diana.

2656. Quantum autem ad Turcas existentes in locis Christianorum (quidquid alii teneant) omnino dico, non posse Christianos illorum bona surripere sine peccato, & onere restitutionis, si pacificè in nostris locis degant nam (secus si scandalis, & malis, quæ quidem vitari non possent) vel morantur ratione treguæ, salvi conductus, aut ut publici negotiatores sub fide Regia; & tunc recurrit doctrina P. Dianæ de num. 2655. Tùm quia negotiatores solvunt super mercibus debita vectigalia Principibus Christianis. Item promissio, & pactum est contractus, qui inducit obligationem justitiæ: Vel morantur, ut personæ privatae, sive liberi, sive servi; & tunc sunt subditi Principibus Christianis, adeoque quoad hoc sunt, uti alii subditi tractandi.

2657. Ex dictis sequitur, non peccare Christianos in terris Turcarum existentes, fraudantes gabbellas à Turcis impositas; nec in terris alterius Principis infidelis, qui injusto titulo possidet terras injustè Principi fideli ablatas. Diana part. 7. tract. 7. ref. 65. *Vide num. 2707.*

QUÆ.

QUÆRES III:

2658. An uxor possit licite vivere ex bonis mariti, furto, vel per usuram acquisitis?

Resolutionem dat Verricelli tract. 3. q. 32. num. 4. occasione alterius casus. An scilicet soror pauperum possit licite vivere ex cibis à sorore adultera emptis ex pecunia ab adultero furata dommodo ipsa eorum adulterio, aut furto non cooperetur? Et cit ut sequitur:

„ Possè excusari hæc mulier ex altero capite, & „ suppono, probabilem esse opinionem, licite posse „ uxorem vivere ex bonis mariti per usuram acqui- „ sitis. Ita Navarr. cap. 17. num. 268. Vazquez de „ Restitut. cap. 11. dub. 3. Molina tom. 2. disp. 330. „ S. de Uxore, Layman. lib. 3. tract. 3. cap. 11. in fine „ contra Sylv. v. Uxora 8. q. 2. Quam tamen opi- „ nionem ego cum aliqua restrictione admitterem, „ nempe si pecuniæ usurarum essent confusæ cum „ aliis mariti, vel ab isto expensæ in emptionem ci- „ borum, quia pecuniæ post confusionem, & cibi „ empti sunt in dominio mariti; secus esset de ipsis „ pecuniis usurariis in individuo extantibus, has enim „ pecuniis utpote alienas, mulier consumere, & „ expendere nequit. Ratio hujus opinionis est, quia „ cum pecuniæ confusæ, & cibi empti, sint in do- „ minio mariti, qui ex justitia tenetur non solum „ restituere usuram, sed etiam ex justitia tenetur „ præbere alimenta uxori; ista non peccat, si ac- „ cipiat, quod est sibi ex justitia debitum: etiam „ cum præjudicio creditorum, seu solventium „ usuram.

„ Eodem modo dici posset in casu nostro: so- „ ror adultera, cum fit minus pauper, tenetur ex „ justitia alere sororem pauperissimam. Gloss. & DD. „ in L. qui filium, ff. Vbi pup. educ. debeat. Surdus de „ Aliment. tit. 1. q. 25. ergo ista soror pauperissima in- „ nocens non peccat, si accipiat cibos emptos ab „ adultera ex pecunia furata, modo ipsam indivi- „ duam furatam pecuniam non accipiat.

De Furto agunt Scotus in 3. d. 38. q. unic. litt. A. in 4. d. 15. q. 2. litt. KK. Maltrius in Theol. Mor. disp. 9. q. 1. Joan. la Cruz q. præc. q. 2. Bonacin. tom. 2. de restitut. disp. 2. q. 8. Diana part. 5. tract. 13. resol. 98. tract. 5. ref. 34. p. 1. tract. 6. ref. 34. & alibi Tambur. tom. 1. lib. 8. tract. 2. Busemb. lib. 3. tract. 5. Cardenas disp. 23. Mendo de Furto sacrilego. *Vide num. 560. & num. 1521.*

CAPUT IV.

DE RESTITUTIONE.

2659. **R**estitutio, secundum nomen, ex D. Thom. est, alicuius in sua possessione, aut dominio iterata statutio. Secundum rem, per Juristas: est actus justitiæ, quo reparatur ad æqualitatem damnnum proximo illatum per injuriam. Per Scotum in 4. d. 15. q. unic. litt. AA. est reductio

justitiæ commutativa ad æqualitatem. Injuria alia est materialis, quando damnnum est illatum inadvolentem, aut bona fide alia formalis, quando est illatum scienter, ut cum scienter quis rem alterius surripuit, aut si bona fide: accepit accedente mala fide retinet; & non vult restituere.

2660. Obligatio restitutionis solum oritur ex justitia commutativa læsa; unde si læsio fit contra charitatem, aut aliam virtutem, non obligat ad restitutionem. Imo neque ad restitutionem obligat justitia distributiva læsa, nisi sit ei annexa justitia commutativa: v. num. 2355.

Hinc Prælatus conferens beneficium non curatum digno, omisso digniori, peccat mortaliter, sed non tenetur ad restitutionem; quia solam justitiam distributivam lædit. Si verò relicto digniori, conferat digno beneficium curatum, & peccat, & tenetur ad restitutionem; quia lædit justitiam commutativam; nam eo ipso, quod Prælatus indicit concursus, fit contractus quidam inominatus: do, ut des; ac proinde Clericus ad examen accedens, si suo competitori prævaleat, acquirit jus strictum ad pretendum, ut illi detur, v. num. 1281. quod est objectum justitiæ commutativæ.

2661. Ad beneficia autem ex Trid. sess. 24. de Reform. cap. 1. promovendi sunt digniores. Nec dicas, Conc. per ly digniores, sumere comparativum pro positivo, aut id dicere solum ad excludendos indignos; quia est extorta expositio, dum Concil. clarè utitur comparativo, illudque replicat, digniores, & Ecclesiæ magis utiles. *Vide in pag. 5. prop. 47. ab Innoc. XI. damn. Vide num. 1282. & seqq.*

2662. Quòd si in concursu duo reperiantur æqualis meriti, non potest Prælatus aliquid ab uno recipere, ut illi præ alio conferat; & si accipiat, tenetur restituere, quia ex Jure Canon. beneficia sunt conferenda gratis. *Vide in pag. 2. propos. 22. ab Alex. VII. damn.*

RADICES RESTITUTIONIS

2663. **S**unt quatuor. 1. Ex injusta acceptio- ne, aut retentione. 2. Ex re accepta. 3. Ex damno illato. 4. Ex contractu. Injusta acceptio habetur, cum quis rem alterius scienter, invito rationabiliter domino, surripit; & dicitur possessor male fidei. Re accepta: cum quis rem alterius bona fide accepit, seu possedit; & dicitur possessor bonæ fidei, qui statim ac advertit, & venit in cognitionem, rem esse alterius, tenetur restituere, ut infra; aliàs incipit esse injustus detentor. Damnum illatum: ut cum quis per actionem injustam damnus alteri infert, v. gr. occidendo, segetes comburendo, &c. Ex contractu, & hoc dupliciter. 1. Ex contractu injusto, qui, si fuit advertenter injustè celebratus, æqui- valet injustæ acceptio, si bona fide, rei acceptæ. 2. Ex contractu justo, sed postea læso, vel ob pacta, & conditiones non observatas, vel ob moram culpabilem in solvendo, elapso termino.

Hh 2

Oblig.

2664. Obligatio restitutionis ex delicto, nempe ex injusta acceptione, seu retentione, ex re accepta, superveniente mala fide, ex damno illato, & ex injusto contractu, non oritur in foro conscientia, nisi ad sit actio iuxta externa, quae sit peccatum mortale; quia poena debet esse proportionata culpa; unde poena gravis, qualis est de restituenda re gravi, sub onere peccati mortalis, praesupponere debet culpam mortalem. Imò esse debet culpa efficitur, & effectivè laedens iustitiam commutativam, qualis est sola actio injusta externa. Unde qui damnatum est passus in suis bonis sine culpa mortali laedentis putare debet, fulmen de caelo cecidisse, & rem suam consumpsisse; reputatur inquam casus fortuitus. In foro externo sufficit culpa legalis. *Tamb. tom. 1. lib. 4. tract. 3. cap. 2. §. 1. ex Com.*

2665. Hinc. 1. Qui habuit voluntatem efficacem rapiendi, aut retinendi rem alterius, sed retractata voluntate, non fecit; non tenetur ad restitutionem, quia peccavit mortaliter, sed peccato interno, per actionem injustam, non externam, sed internam contra nonum praecceptum.

2666. 2. Qui furatus est quid modicum, cum intentione continuandi usque ad quantitatem notabilem, sed ad eam non pervenit; non tenetur sub mortali, sed solum sub veniali ad restituendum illud modicum ablatum; quia licet peccavit peccato mortali interno, culpa externa non fuit gravis. Similiter non tenetur ad restituendum, si damnus grave intulit, v. gr. incendit fegetem, venenum dedit sed sine culpa, aut eum sola culpa veniali, ratione inadvertentiae, aut indeliberationis actus. Omnino vide *tom. 2. à num. 116.*

2667. Obligatio verò restitutionis ex contractu iusto oritur etiam sub mortali ex sola culpa iudiciali, sine culpa Theologica, seu mortali; quia non oritur ex delicto, sed ex conventionione, & pacto in ipsa natura contractus imbitio. *Maltrius disp. 7. quest. 2. num. 18.*

2668. Culpa iudiciali (ait Fenech.) est omnis diligentia, quam quis adhibere tenetur. Est triplex: lata, levis, & levisima: lata est omnis diligentia, quam committitur adhibere solent homines ejusdem conditionis, vel major pars eorum; ut si quis librum commodatum relinquit in loco publico, unde surripitur: tunc dicitur perisse culpa lata commodatarii. Levis est omnis diligentia, quam homines diligentes suae conditionis adhibere solent, ut si quis rem commodatam relinquit in cubiculo, vel arca non observata: tunc dicitur perisse culpa levi illius. Levisima est omnis diligentia, quam homines diligentissimi suae conditionis adhibere solent, ut si rem commodatam relinquit in cubiculo, quod privatim observatum, sed non tenuit, an esset bene clausum, & revera non erat clausum: tunc dicitur perisse culpa levisima.

In contractibus factis in favorem solius dantis, ut est depositum, non venit, nisi dolus, & culpa lata. In contractibus factis in favorem solius recipientis, ut est commodatum, venit etiam culpa levisima.

2669. In contractibus factis in favorem utriusque, tum dantis, tum recipientis, ut sunt pignus, venditio, locatio, &c. venit culpa lata, aut levis, sed non levisima; unde si commodas Petrus equum ad invicendum communem amicum, tenetur Petrus ad restitutionem, si equus pereat ex culpa lata, aut levi; minime, si ex levisima. *Tamb.*

2670. Depositarium, si salarii accipiat, tenetur etiam ex culpa levi; quia tunc depositum evadit factum in gratiam utriusque tunc namque, cum depositarius accipiat pretium, tenetur ex iustitia rem depositam majori diligentia custodire.

2671. Eos, qui ex officio ad impediendum damnatum tenentur, & non impediunt, non tenentur ad restituendum, nisi ex culpa lata, ait Bertaldus, quia non tenetur quis in suo officio ad diligentiam majorem ea, quam homines talis professionis solent ordinariè adhibere.

2672. Casus fortuitus est, inopinatus eventus rei, quem humana providentia providere non potest, neque impedire, ut mors equi absque ulla culpa, tempestas maris, ruina domus, naufragium, vis fluminis, & similia.

2673. Nullus tenetur regulariter ad damnatum, quod interveniat casu fortuito, nisi in tribus casibus. 1. Quando culpa praesit casum, ut qui equum commodatum sive Florentiam, ducit Bononiam, & in itinere Bononiam versus raptus est, à latronibus, tunc cum culpa praesit. 2. Quando praesit mora culpabilis, & per hanc perit apud commodatarium; damnatum tamen non esset etiam rei peritura apud dominum; licet in foro externo etiam tenetur, si esset peritura apud dominum casu fortuito. 3. Quando intervenit pactum, quo quis se obligavit ad casum fortuitum. Ita Fenech.

2674. Obligatio restitutionis ex contractu injusto, nedum oritur ex culpa mortali commissa in celebratione contractus, sed etiam ex culpa iudiciali contra innocentem, etiam si haec contingat postea sine peccato; puta, quia ad malitiam gravem non advertit; alioquin pejoris conditionis esset, qui iuste contraxit eo, qui iniuste; si sola culpa iudiciali illum obligaret, non itum. Unde, si Petrus minis coegisset Paulum ad locandum ei vili pretio equum; tunc, si equus conductus moreretur ex sola culpa iudiciali conductoris, teneretur conductor nedum ad restituendum pretium iustum conductionis ex iniustitia contractus, sed etiam pretium equi ex culpa iudiciali: in casu non solum lata, aut levi, sed etiam levisima; quia hic contractus locationis, qui aliàs fit in gratiam utriusque, in presenti est factus in gratiam solius recipientis.

2675. Qui utitur deposito, aut locato, v. gr. pecunia, equo, &c. & hac causa pereat, aut fiat deterior tenetur restituere, quia excessit modum depositi, & locati.

2676. Commodatarius non tenetur restituere lucrum perceptum ex negotiatione pecuniae in com-

modatum ad pompam acceptae. *Clericatus cap. 82. num. 18. quia ex sua industria propevit. Vide num. 2376.*

Quod procedit à fortiori; quia neque fir tenetur restituere lucrum perceptum ex negotiatione pecuniae furtivae, nisi dominus esset pariter ex eo lucraturus; quia tale lucrum ex sua industria procedit.

Tenetur tamen restituere lucrum, quod ex re ipsa fructifera commodata percepit, puta partus ex illa natus; aut lucrum, si eam locavit. *Clericatus cit. Quia hi fructus domino cedunt. Vide num. 2694.*

QUI RESTITUERE TENEANTUR.

2677. Ad restitutionem tenentur non solum, qui proprio facto iniuste damnatum inferunt tertio, accipiendò, retinendò, damnificandò; sed etiam qui efficitur, & cum effectu ad damnatum alterius iniuste cooperantur, qui continentur hoc versu:

Iustus, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstant, non manifestans.

Isti restituere tenentur in solidum, seu totum in defectum exequentis, si fuit causa efficax, ut damnatum fiat; & id non sub dubio, sed certò sciant.

Priores sex cooperantur positivè, posteriores tres privatè, quatenus tenentur ex iustitia, seu officio damnum impedire, & non impediunt.

Iustus significat eum, qui jubet, & mandat, si vè expressè, si vè tacitè, & signis, damnum fieri. Qui ratum habet damnatum suo nomine factum ad restitutionem non tenetur, si nullum sui praesit mandatum, aut consilium; quia ratiabilitè praesens non est causa damni praeteriti.

Consilium significat consententem, qui ad restitutionem tenetur in defectum exequentis. *Vide num. 2100.*

Consensus significat eum, qui consensum dat, ut furtum fiat; qui est fautor.

Palpo, qui approbat, & laudat.

Recursus, qui dat refugium, & securitatem.

Participans, qui est socius, adiutor criminis, partem praedae recipit, facit pro fure excubias, instrumentum ad furandum desert, aut alio modo cooperatur.

Bufemb. ait, praefatos non teneri ad restitutionem, si efficaciter tantum concurrant, non ad substantiam, sed ad circumstantias, & modum actus damnosi, v. gr. si quis tantum impellat alium, ut citius vè animosus, hoc, vel illo loco, vel modo noceat.

2678. Mutus, qui silet. Non obstant, non manifestans, non tenentur restituere, sed solum peccant contra charitatem, si non teneantur impedire ex iustitia, & commode possint; tenentur autem ad restitutionem, si impedire teneantur ex iustitia, nempe ex contractu, seu officio. Tales sunt Principes, &

Magistratus, qui possunt, & negligunt impedire latrones.

2679. Tutores non impediunt, damna pupillorum, aut aliorum, quorum curam susceperunt. Famuli, qui negligunt impedire furem; & custodes gabellarum, si permittat alios fraudare gabellas; imò, si non manifestent. Nam qui causam damnati dat, damnatum ipsum desisse videtur. *Vide in pag. 4. Prop. 39. ab Innoc. XI. damn. dicti custodes tenentur restituere damnatum, quod domini patiuntur ex denegata solutione gabellarum, & minime ex denegata solutione praenae. Bonac. tom. 2. de Restitut. disp. 1. q. 2. punct. 11. num. 11. Quia mercatores ad poenam non tenentur, nisi deprehensi.*

2680. Praefati, si non impediunt verò metu gravioris mali proprii, aut suorum, puta mortis, &c. nec peccant; nec ad restitutionem tenentur, quia licet per cooperationem sint causa physica, non sunt causa moralis damni, seu furti, quatenus hoc non imputatur tunc illis moraliter, quia iustitia eos non obligat ad conservanda, & custodienda bona alterius, cum prudenti periculo iacturae boni proprii altioris ordinis: valida est ratio de num. 2681. Imò Ardekin in tom. 2. p. 2. tract. 5. cap. 14. §. 1. num. 7. idem tenet de positivo cooperatore ad furtum per actionem ex se indifferente, puta tenendo scalam, &c. in casu metu gravioris mali proprii.

2681. Causa: Plures officiales; quibus est officio, & iustitia incumbit cura exigendi annuos redditus iustitiam domini, utrum fraudant; & summam fraudis pro singulis dividunt, eamque dant etiam uni, cui fraudis displicet, adeoque ipse non fraudat, sed portionem ab eis accipit; quia rationabiliter timet mortem, si se manifestet volens, praevalenter discernens, eos pariter sibi dare, ut sint rufiores, ne manifestentur; ipse autem suam portionem fraudis, quam recipit, occultè restituere dominos queritur an peccet; & teneatur ad restitutionem in solidum?

Respondeo, non peccare, nec teneri ad restitutionem in solidum; quia ille utiliter gerit rem domini; nam alii supponunt, determinati ad furandum; unde si hic non adesset, & portionem non reciperet, eam pro se surripere illi, & propterea etiam ea privaretur dominus, cui ille restituere. Tum quia ille non dicitur fur, nec cooperatur ad furtum; non quidem per portionem, quam recipit; quia eam non recipit ad retinendum, sed ad reddendum domino, ac ad mortem vitandam; nec per portionem, aliorum, ad quam cooperatur; quia illa respectu aliorum, non respectu huius est furtum; nam respectu huius dominus non est invitus, & si invitus, non rationabiliter invitus; quia non potest dominus rationabiliter, & iuste pretendere, ut suus officialis rem suam custodiat cum iactura boni superioris ordinis. *Vide num. 229; & 231.*

2682. Si determinato ad majus malum inferendum determinata persona, quod non potes avertire, consulas minus malum inferendum eidem, v. gr. de-

determinato ad occidendum Petrum consulas, ut furetur, aut eum verberet; & determinato ad furandam cenam à Petro, consulas, ut furetur quinquaginta ab eodem; nec peccas, nec ad restitutionem teneris; quia geris utiliter rem domini, qui non est rationaliter invitus. Peccas autem, & ad restitutionem teneris in defectum furis, si consulas minus malum inferendum alteri, de quo ille non cogitaverat, quia tale consilium est in præjudicium, & damnatum tertii, quod illud passurum non erat. Si verò fur est determinatus ad furtum, sed anceps manet, an debeat furari à Petro paupere, vel à Paulo divite; si non potest averti, licitum est consilium, & monere in genere: *Majus malum esse furari à paupere, quam à divite*, quamvis enim illicitum sit facere malum, ut veniat bonum, v. gr. committere usuram, ut inde redimatur vita captivi; non est illicitum determinato ad majus malum consulere minus. *Vide à num. 376.*

2683. Confessarius, si culpabiliter omisit monere poenitentem de restitutione, peccavit mortaliter, & tenetur monere poenitentem, si ex ejus contrarietate motus fuit ad credendum, se non teneri; non tenetur autem, si non moneat, ipse in defectum poenitentis restituere: quia non tenetur ex officio, & justitia prospicere bonis temporalibus aliorum, sed bono spirituali poenitentis. *Fenech. si verò positivè dissuasit restitutionem debitam, vel suavitatem indebitam culpabiliter, tenetur monere de errore, aliàs tenebitur ipse restituere in poenitentis defectum; si inculpabiliter; tenetur monere, si commode potest; aliàs tenetur ipse, uti ex re accepta; si verò non potest commode, non tenebitur ad restitutionem.* *Leanler.*

2684. Qui sine vi, fraude, aut mendacio impeditvium alium ab obtinenda re ei ex justitia non debita, v. gr. ab officio, beneficio, &c. peccavit mortaliter, si id fecerit ex odio, & non ex justa causa; at non tenetur ad restitutionem, quia non peccavit contra justitiam: ad eam autem tenetur, si impeditvium per vim, fraudem, aut mendacium, & ille erat dignus, & habebat spem; minime, si erat indignus, aut si dignus, spem non habebat; quia si ille erat dignus, & habens spem, qui eum fraude impeditvium, fuit causa efficax damni, & quilibet habet jus strictum, ut non impediatur inique ab officio, quo est dignus, & ad quod obtinendam habet spem; hinc ille restituere tenetur prudentis viri iudicio juxta probabiliteratem spei.

2685. Quando patiens damnum condonavit causæ principali, liberantur minus principales, non è converso.

2686. Debitor, qui se composuit cum creditoribus minori summa contentis; si illi sine liberè, & revera contenti, liberatur ab onere solvendi excessum, etiamsi postea deveniat in pinguem fortunam; quia talis compositio est quedam remissio, & species donationis: cavendum est, ne sit fraus, aut me-

tus; sæpè enim creditor est contentus, non liberè, sed coactè, quatenus agnoscat, quod attenda debitoris potentia, & conditione, si non acceptet minorem summam, se ponit in periculo amittendi totam; & tunc non liberatur ab onere restitutionis debitor; bene verò, si cognita paupertate debitoris, creditor verè misericordia motus partem remittat.

2687. Qui occidit alterius animal suam possessionem damnificans, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur; quia non habet jus occidendi, sed tantum expellendi, & satisfactionem exigendi. Nisi alter propriam dampnum impedire non possit. *Tarranus paritatem asserere de eo, qui alienam domum vicinam diruit, per quam ad suam incendiam erat perventurum.* *Fenech.*

Ex damno illato à proprio servo, aut animali, non tenetur dominus in foro conscientia restituere, si ipse in culpa non fuit; tenetur in foro externo.

2688. Quando plures damnum intulerunt, ita ut teneantur singuli in solidum ut in num. 832. & 2697. si actio fuit lucrativa, primo loco rem ablatam restituere tenetur ille, apud quem extat, aut qui mala fide consumpsit, & in ejus defectum cooperatores. Si actio lucrativa non fuit, ut in occisione, incendio, detractione, &c. tunc primò loco tenetur, qui fuit causa primaria damni, nempe mandans, vel executor, & in ejus defectum, vel quia non velit, vel quia non possit, ad restitutionem in tenentur cooperatores. *Vide num. 2100.*

QUID RESTITUENDUM.

2689. Restituenda est eadem res in individuo, si extat.

2690. Fructus rei sunt triplicis generis: *Merè naturales*, qui absque labore, aut industria, vel saltem cum modica, ex re naturaliter proveniunt, ut fructus arborum, fetus animalium; *Merè industriales*, qui non procedunt ex natura rei, cum sit ex se infructifera, sed ex industria hominis, ut lucrum ex pecunia negotiationi exposita; & *Mixti*, qui procedunt ex re fructifera, sed cum multa industria hominis, ut frumentum ex segete, vinum ex vinea, lana, lac, &c. hoc præmissis.

2691. Magna est differentia inter possessorem bonæ fidei, seu qui tenetur ex re accepta, & inter possessorem malæ fidei, seu qui tenetur ex injusta acceptione, aut damnificatione.

POSSESSOR BONÆ FIDEI

Quando venit in cognitionem, quod res non sit sua, tenetur eam restituere, una cum fructibus, si extent; & si non extent, tenetur restituere id, in quo factus est ditior. Sit exemplum ex Ardekin: vestem à fure donatam bona fide accepisti, & attrivisti; comparet postea dominus, tunc solum teneris ei restituere vestem attritam, & insuper quantum tuo vestimento pepercisti; quia solum in eo factus es ditior. Quod si vestem pretio emisti

ni-

nihil præter vestem attritam restituere teneris. Item si vestis sit consumpta, imò si eam perdidisti, aut tua culpa destruxisti, ad nihil teneris, si in nihilo factus sis ditior; quia stante bona fide, non peccasti contra justitiam.

2692. Si bona fide rem alienam tibi donatam, v. gr. vestem vendidisti, teneris restituere pretium, si pretium extet, & non vestem; si verò vestis extet apud emptorem, curare debes, ut rescindatur venditio, & restituatur vestis, reddito pretio emptori; quia factus est ditior. *Vide num. 2691. & 2718.* Si verò eam alteri gratis donasti, aliàs non donaturus, si tibi non fuisset bona fide donata, ad nihil teneris, sed solum debes ex charitate indicare domino, ubi res extet; quia nihil habes, quod alias non haberes.

2693. Quantum ad fructus restituere tenetur fructus naturales, & mixtos, minime industriales; quia sunt pars rei, deductis tamen expensis, & laboribus; imò solum tenetur restituere fructus, quos habet à tribus annis infra, minime, quos habet à tribus annis supra; quia horum, utpotè mobilium, acquisivit dominium per prescriptionem: quinimò etiam ipsam rem præscribere potest, si habeantur conditiones prescriptionis de num 2335. Ex jure sufficit, quod ultima dies triennii sit inchoata. *Vide num. 2338.*

POSSESSOR MALÆ FIDEI

2694. Restituere tenetur, omnimodam æqualitatem servando; adeoque restituere tenetur rem eandem in individuo, & bonitate, si extat vel tantundem in specie, aut genere, seu pretio, si non extet, etiamsi sine sua culpa perierit. Item tenetur restituere omne damnum, & interesse, sive damni emergentis, sive lucri cessantis, &c. quia fuit injusta causa damni: in qua re fieri potest compositio cum dominis, qui solent multum remittere. Insuper omnes fructus, tam naturales, quam mixtos, deductis suis expensis, qui solent multum remittere. Insuper omnes fructus, tam naturales, quam mixtos, deductis suis expensis, & laboribus, sive hi fructus extent, sive non; quorum nihil præscribere potest, quia non debet lucrum ex injustitia reportare.

Non tenetur autem restituere fructus industriales, quia hi non correspondent rei alienæ, sed propriæ industria. Unde, si usurarius centum aureos, quos lucratus est ex usuris, exponat licitæ negotiationi, & inde lucratur viginti, tenetur restituere priores centum aureos, viginti verò potest licitè pro se retinere. Similiter, si fur pecunia ablata, ludat, & lucratur, non tenetur restituere lucrum, quia est fructus industrialis; nisi dominus fuisset pariter lucraturus.

2695. Si, dum res aliena mala fide detinetur, creseat, seu ejus pretium augeatur, domino crescit, adeoque illi debetur. Unde, si frumentum ablatum mense Augusti retines mense Maii, non satisfacis, sed solvas pretium, quod valebat mense Augusti, sed frumentum restituere debes mense Maii cum suo melioramento.

Si verò pereat, aut deterior fiat naturaliter casu fortuito, hostium incurfione, &c. ita tamen ut prudenter existimetur, æque perituros fuisse apud dominum, non tenetur ille ad restitutionem; quia per hoc, quod res erat apud furem, nullum novum damnium incurreret, quod non apud dominum.

Si verò apud dominum peritura non fuisset, aut damnum passura, tenetur injustus detentor restituere pretium, etiamsi sine sua culpa perierit; quia per suam injustam acceptionem, seu detentionem, fuit causa efficax damni.

Denique si res apud dominum erat peritura, & apud furem extat incolumis, domino extat; quia sicut quando crescit, domino crescit; ita quando extat, domino extat.

2696. *Exemplum.* Fur surripit è navis Petri quoddam mercus, quas transportat in propriam navim; accidit die sequenti, quod tempestate pereant ambæ naves una cum mercibus, salvis hominibus, ad nihil tenetur fur. Si verò sola navis Petri pereat, & navis furis salvetur, tenetur fur restituere mercus ablatas Petri.

2697. Quando plures concurrunt ad damnum, seu furtum; si id faciant seorsim, non tenentur singuli plus restituere, quam per se acceperunt; quia sunt causæ parciales partialitate effectus. Si autem id fecerunt mutuo consensu, & auxilio, tenentur singuli in solidum, nempe restituere totum in defectum alterius, cum jure postea repetendi ab eo; quia mutuo illo consensu, comitatu, & auxilio, singuli habuerunt influxum efficacem in totum furtum, & damnum, quod ex confidentialitate in mutuo comitatu, & auxilio fuit illatum: unde singuli dicuntur causa totalis totalitate effectus.

Quod si duobus furibus per se determinatis ad aliquod certum furtum, superveniat tertius, & simul cum eis furetur, tenetur solum ad suam partem. Si verò in effectu duo illi non erant sufficientes ad furtum, v. gr. ad frangendam januam domus, ad excubias faciendas, &c. & auxilio tertii satisfecerunt, tenetur tertius in solidum; quia in re fuit causa efficax totius furti, & causa totalis totalitate effectus. *Vide tom. 2. num. 15.*

2698. Quando damnum est incertum, restitutio est facienda secundum estimationem experti, v. gr. si animal tenear ataris occidisti, si recentes arbores, aut immaturas segetes incendisti, restitui debet tantum, quanti tempore meisis valuissent, non omnino adæquatè, sed deductis laboribus, & expensis, ac habita ratione periculi.

2699. Qui est certus, quod res sit Petri, vel Pauli, dubitat verò, an determinatè sit Petri, vel Pauli, tenetur utrique dividere pro rata dubii. *Vide num. 40. & 111.*

2700. Possessor malæ fidei in foro externo, tantum detrachere potest expensas necessarias factas pro re domini, v. gr. pro viridario, &c. minime voluntarias, & utiles, idque in penam delicti; at in foro

re

ro conscientia potest etiam istas detrahere; quia si cum meliora, quibus res est à fure facta melior, & fructuosior, cedunt domino, eique utilitatem afferunt; ita iustum est, ut ille expensas pro eis factas sibi detrahat.

ACQUISITA OB TURPEM CAUSAM

2701. **N**ON sunt restituenda, nisi in casibus, in quibus lex humana facit inhabilem acquirentem. Talia sunt acquiritur per simoniam realem, de quibus in *num.* 1263. & 1264. pro sponsonibus super vita, & morte, & futura electione Summi Pontificis, & Cardinalium; quæ sunt restituenda, non ipsis dantibus, sed pauperibus in penam, ex Bullis Greg. XIII. & Clem. VIII.

Minimè in casibus, in quibus non adest præfata lex, quia licet conventio, & pactio pro opere illicito patrandi sit illicita, & non adimplenda; factæ autem patratio opere illicito, v. gr. homicidio, fornicatione, &c. non est illicitum petere, & dare pretium præmissum; quia actio illa, quæ venditur, est in se pretio æstimabilis. Imò meretrices possunt pretium petere in iudicio, quia meretricium in foro externo toleratur; non sic aliæ mulieres.

2702. In foro externo non oritur obligatio solvendi promissum ob opus turpe factum, excepto meretricio, *ex l. Eleganter, ff. de Verb. oblig.*

2703. Iudex, qui dedit sententiam ob pretium, si sententia est iusta, non potest recipere pretium, & si recipit, tenetur restituere, quia sententia iusta est debita, adeoque non potest iuste vendi. Si sententia est iniusta, ante sententiam tenetur rescindere contractum, restituendo pretio; sed ea data, potest licite petere, & accipere pretium, quia vendidit operam suam uni parti non debitam; at tenetur restituere damna illata alteri parti. *Tamb. tom. 1. lib. 7. cap. 5. §. 3. num. 13.*

2704. Accepta per simulationem paupertatis sunt restituenda. *Scotus in 4. dist. 15. quest. 2. lit. X.* quia deceptus in conditione, ob quam donat, non liberaliter donat: ex qua ratione, sicut quando donas alicui, quem putas propinquum, si talis non est, donatio est nulla; ita quando donas elemosynam alicui, quem putas egenum, si talis non est. Soto, & Busem. id concedunt de elemosyna magna, negant de parva, quia magna dari solet sub conditione pura paupertatis, non sic parva. Sed ratio Scoti est universalis: unde ejus sententiam sequitur Navarr. & vocat communem.

2705. Accepta per hypocrisim, v. gr. Beneficium, Officium Ecclesiasticum, ut Provincialatus, &c. esse restituenda, seu renuncianda, tenent ex nostris Faber, & Aretinus, si hypocrisis fuit causa finalis, & motiva apud electores; quia deceptio causat involuntarium, adeoque reddit contractum nullum. Negant Soto, & Azorius; item Navarr. præsertim quoad Beneficia Ecclesiastica; quia Prælati, licet bonitate concurrentium diligenter perscrutentur,

tur, postea tamen quando conferunt, absolute, & non conditionaliter conferunt.

2706. *Hypocrita* est, qui talem sanctitatem fingit, qua præterit apud homines aliquid bonitatis, quam non habet. Unde hypocrita non est, qui suum peccatum occultat, nihil bonitatis ultra statum communem suæ Religionis, & conditionis præterens. Hypocrisis est de se venialis; est autem mortalis, si fiat cum injuria, aut damno gravi proximi, ut cum quis fingit sanctitatem ad obtinendum officium, & dignitatem, &c.

2707. *Fraudantes gabellas iustas*, non peccare, nec ad restitutionem teneri, nisi sint custodes, seu obligati ex officio, tenent Duardus, Henriquez, Angelus, Navarr. Castrus, Sa, Pontius, & alii; quia lex de gabellis non imponitur per verba præceptiva, sed ordinativa: Tum quia est lex civilis pure pœnalis, adeoque solum obligat in foro externo, & ad penam; non in foro conscientia, & ad culpam. Nec officit, si fraudes cedant in damnum eminentium gabellas; quia illi sciunt fraudes contingere, & tamen emunt, & conducunt illas; imò cum hoc periculo emunt, & ob illud solent vilis emere, aut conducere. Denique id, quod amittunt cum multis, compensant cum aliis, quos in fragranti invenniunt. Ita Illi. *Vide num. 2657.*

2708. Dico tamen, necdum custodes, sed etiam alios peccare, & ad restitutionem teneri, nisi iustus titulus compensationis addit Maltrius in *Theol. Moral. disp. 6. num. 19.* Faber, Lugo, Joan. la Cruz; quia gabella iusta non debetur Principi in penam, sed in tributum, & ut stipendium jure naturæ debitum Principi. Et sicut Princeps tenetur jure naturæ custodire subditos, eorum mœnia, & turres, eosque defendere ab hostibus; ita vicissim jure naturæ tenetur subditi dare Principi subsidium congruum ejus sustentationi, & ad bonum publicum sustinendum: hinc ait Christus, Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cesaris Cesaris; & quæ sunt Dei Deo.* Vide à num. 173.

2709. Illud certum est, posse deputatos ad exigendum dissimulare cum pauperibus, qui vix solvere valeant, ut advertit Mendo in *Epir. verb. Gabella*, num. 12.

2710. Insuper addit Mendo *cit. num. 6.* cum Sylvestro, & aliis, quod læsus à Rege, si concurrant conditiones ad compensationem requisitæ de *num. 2641.* possit compensare, non solvendo gabellas, etiam si istæ sint alicui privato locatæ, aut venditæ; quia semper minori pretio locatur, aut venduntur ob respectum ad fraudes. Cæterum hæc sententia non est prædicanda in casu, quo gabellæ sint alicui privato venditæ; quia tunc est eorum translatum dominium à Rege in privatum. Et tanta libertas posset esse causa emptorem depauperandi.

2711. Item etiam in sententia opposita, quod non sit peccatum fraudere gabellas, Mercator, aut alius, qui occultè merces introduceret non solvendo gabellas, non posset sine peccato, & onere resti-

tuitionis illas ab emptoribus exigere, sed deberet minori pretio vendere; aperta namque injustitia est, velle ab emptoribus recuperare pretium gabellæ, quod ipse fraude non solvit.

2712. *Dixi: fraude non solvit*; quia si à Gabellois fuisset mercatori pars aliqua gabellæ remissa, ex sine eum magis confirmandi ad merces deferendas, tunc posset partem exigere, quia ipsi cedit, cum fuerit eidem in suæ personæ gratiam à Gabellois remissa, juxta dicta de emptore *num. 2464.*

QUÆRES:

2713. *An quis aliquid accipiens, ne accuset, teneatur ad restitutionem?*

Difficultas procedit post delictum, v. gr. furtum, homicidium, &c. commissum, quod non pendet in futurum, nec reparari potest, aut ad reparandum quis non tenetur; minimè ante; quia ante, certum est, in casu delicti patrandi teneri ad rescindendum contractum, & restituendum pretium, ut in *num. 2705.* Hoc præmissum.

Resp. cum distinctione: Si hic habet jus ad accufandum, non tenetur ad restitutionem; quia tale jus est pretio æstimabile. Si tamen habet jus ad accufandum, & insuper ad id tenetur ex justitia, quatenus tenetur ex officio, puta si est officialis, si salarium accipit, &c. tenetur ad restituendum damnum domino, cujus est officialis; minimè pretium acceptum delinquenti, ne accuset, ne impediatur, &c. *Vide num. 2679.* Quia licet deliquerit contra justitiam erga dominum, cujus est officialis, & proinde teneatur ad reparanda illi damna; non deliquit contra justitiam erga delinquentem, accipiendo pretium, ne accuset; sed illi vendidit jus accufandi pretio æstimabile.

Hinc post furtum commissum, quod reparari non potest, aut ad quod reparandum ob aliquam circumstantiam, pura sui periculum, &c. quis non tenetur; non tenetur quis restituere pretium acceptum à fure, ut taceat, ne accuset, &c. dummodo pretium acceptum non sit pars furti.

Quod est verum, etiam illi animum accufandi non habeat. *Diana p. 4. tract. 4. ref. 34.* Quia in re jus habet, quod est pretio æstimabile.

2714. Denique, si hic nullum habet jus ad accufandum, impediendum, &c. nihil potest iuste recipere, ne accuset; & si recipiat, tenetur restituere. Quia ratione (ait Tamb.) *Nequit uxorem accipere iuste à marito pretium, ne adulteret; quia ad non adulterandum tenetur uxorem ex justitia ipsi marito: ergo venderet marito id, quod maritus est.* Tamb. *tom. 1. lib. 7. cap. 5. §. 3. à num. 8. usque ad 13.* Bonac. *tom. 2. de Restitut. disp. 1. q. 3. punct. 11.*

CUI RESTITUENDUM.

2715. **R**estitutio regulariter est facienda domino. *Nomiae domini*, venit tam qui habet dominium rei, quam omnis, qui aliquo

justo titulo rem possidet; unde res, quam fur abstrahit à depositario, non est restituenda domino, sed depositario; qui eam habebat de voluntate domini.

2716. *Dixi regulariter*, quia sunt plures casus, in quibus non est facienda domino. Et quidem, si dominus est mortuus, facienda est heredi. Si longe absens, ut sine magno dispendio fieri illi non possit, facienda est propinquis. Si dominus, & propinqui sunt ignoti, adhibenda est diligentia, ut dignoscantur.

2717. Si diligentia adhibita, non possint cognosci, est facienda Christo, quem Deus constituit heredem universorum, ex Apost. ad Hebr. 1. v. 2. hoc est, pauperibus, Ecclesiæ, aut Hospitali: quod si ipse revera est pauper, potest rem, in parte, aut toto sibi applicare, quia non est peioris conditionis aliis pauperibus; qua facta applicatione, si perveniat ad pinguem fortunam, non tenetur restituere pauperibus, sicut nec alii pauperes; quia per talem applicationem acquisivit dominium, ut pauper in defectum domini, etiam si fuerit injustus acceptor.

2718. Si verò compareat dominus, non tenetur restituere ille, qui applicavit pauperibus, si moralem diligentiam fecit, ut dignosceret dominum; tenetur verò ipse pauper, qui rem accepit, si res extat in individuo; & si sit consumpta, tenetur restituere id, in quo factus est dicitur; quia nemo debet, ex re alterius distrechere.

2719. Bona inventa, quæ nullum habuerunt dominum, ut lapides pretiosi in flumine, & venæ metallorum: vel si habuerunt, modò nullum dominum habent, ut thesauri; non dicuntur bona incerta, & de his diximus in *num. 2304.* jure naturæ esse primo occupantis. Vide ibi.

2720. Bona igitur incerta sunt, quæ circumstantiis consideratis, cognoscitur, quod habeant dominum, sed ignoratur qui sit; hujusmodi sunt res in via inventæ, ut si ulnam unam panni emere fecerit, sed modo invenias, esse duas, & necias dominum, qui vendidit. De his loquendo, si facta mora, si diligentia, dominum invenire, seu dignoscere non valeas, potes licite ea pro te retinere, etiam si non sis pauper; quia solus injustus acceptor tenetur res, quarum ignorat dominum, restituere pauperibus, ex Alex. III. *cap. Cum tu, de Usuris*, ne lucrum reportet ex delicto. Quod si compareat dominus, tunc tenetur restituere rem, si extat, vel id, in quo factus es dicitur, ut dictum est de paupere, cui est applicata res alterius, *num. 2718.*

2721. Qui solvit creditori sui creditoris in se suo creditore, satisfacit in foro conscientia, quia ponit æqualitatem; debet tamen postea monere, ne solutio fiat bis.

QUÆRES:

2722. *An, qui rem emittit à fure, teneatur eam reddere domino?*

Navarr. & Bonac. dicunt, eum, qui mala fide emittit à fure, teneri reddere domino; qui vero bona fide emittit, posse rem reddere furi, ut sic sua

sum pretium recuperet. Absolutè docent, utrumque posse rem reddere furi, ut suum pretium recuperet Toletus, & ex nostris Maftrius, Faber, & Aretinus, quia unusquisque tenetur magis sibi providere, quam alteri; quod si fur non restituat, est per accidens: unde non dicitur iste per se cooperari peccato illius.

2723. Qui bona fide rem emit à fure, & postea pariter bona fide eam vendidit tertio, æquali, aut majori pretio, non tenetur rescindere contractum factum cum tertio, nec ei restituere pretium; quia charitas non obligat ipsum, ut in gratiam alterius patiatur damnum innocens. Tunc quia contractus emptio factus cum fure, licet revera non transferat dominium rei, quæ est alterius, est validus; quia per eum fur venditor obligatur emptori de evicitione, & damnis inde secutus emptori; unde tenetur illi restituere pretium.

2724. Quod si fur restituat isti pretium, tunc tenetur iste rescindere contractum cum tertio ei restitutum pretio, & re domino; quia tunc nullum damnum reportat, cum jam suum recuperaverit pretium. Si autem fur non restituat isti pretium, nec iste tenetur rescindere contractum cum tertio, nec illi restituere pretium, etiamsi fuerit majus; quia excessus ille cedit suæ industriae; si verò excessus sit ob ipsam rem, quæ eadem manens crevit in pretio; tunc est restituendum domino excessus, quia est fructus rei, unde in illo factus est ditior ex re alterius. Vide num. 2740. & 2742.

IN QUO LOCO, ET QUIBUS EXPENSIS.

2725. Possessor bonæ fidei, seu obligatus ex re accepta, quando cognoscit, rem esse alterius, tenetur rem restituere in loco ubi res extat; unde si dominus sit in alio loco, non tenetur eam mittere expensis propriis, sed solum monere debet dominum, ut disponat: quia non tenetur quis cum proprio damno restituere in pristinum statum dominium, quem non læsit. Possessor verò malæ fidei, hoc est, qui est obligatus ex injusta acceptione, tenetur mittere propriis expensis; quia dominus non debet reportare damnum ex delicto furis.

2726. Exemplum: Petrus Messana se duxit cum equo Pauli Panormum. Petrus iste, vel equum accepit bona fide; & tunc tenetur monere Paulum Messanæ, ut suis expensis mittat per equo: vel accepit mala fide, seu rapuit; & tunc tenetur mittere equum Paulo Messanam propriis expensis, insuper solvendo damna, & interesse, detractis tamen expensis, quas fecit pro sustentatione equi; quas vere ipse Paulus fecisset, nisi expensæ istæ compensandæ essent usu equi, quem fecit Petrus.

2727. Si dominus sit ita absens, ut excessivæ expensæ essent faciendæ à fure pro re mittenda, tunc tenetur restituere, & mittere, si expensæ sint æquales cum valore rei; minimè verò, si sunt no-

tabiliter excedentes valorem rei; quia restituito non fit, nisi ut servetur æqualitas; adeoque non obligat cum notabili inæqualitate creditoris, & debitoris; hac ratione universaliter restituito non est faciendâ cum jactura boni altioris ordinis. Unde poterit iste restitutionem differre, si sit spes, quod approximetur dominus; quod si non fit talis spes, potest restituere confanguineis, & in horum defectum pauperibus, aut in aliquod opus pium, pro domino; quia ut docent D. Thomas, & Scotus, quando restituito fieri non potest, ut profit domino corporaliter, fieri debet, ut profit domino spiritualiter.

QUÆRES I:

2728. An, qui rem restituendam consignavit viro putato fideli, qui eam amisit, aut pro se scripsit, teneatur iterum restituere?

Quæstio est fidei resoluta in 2. tom. à num. 175.

QUÆRES II:

2729. Ad quid teneatur persona media, si rem restituendam amisit?

R Esp. si amisit cum culpa gravi, & mortali, tenetur quidem restituere; si sine culpa mortali, est distinguendum: vel amisit rem eandem in individuo, & tunc non tenetur restituere; non quidem ex re accepta, quia non extat, nec in aliquo est ea factus ditior, nec ex injusta acceptione, ut supponitur. Solum teneretur ex culpa juridica lata, aut levi, si se obligasset ex contractu, juxta dicta num. 2668. & seqq. quod fieri non solet. Si verò res, quam amisit, erat eadem in specie, quatenus eandem, v. gr. pecuniam in individuo, quam restituendam accepit, consumpsit in proprios usus, tunc tenetur eam restituere, quia res domino perit, & sic perit ipsi personæ, mediæ cujus erat.

QUÆRES III:

2730. Petrus Matrini mutuavit Paulo mille aureos, cum pacto, ut elapso termino eos redderet; abicumque ipse reperiretur: interim Petrus pervenit Panormum duce cohortis, & quia est elapsus tempus mutui, quaeritur: An Paulus teneatur eos mittere suis expensis?

R Esp. cum necessaria distinctione: vel Petrus erat summam illam conservaturus, & secum translaturus Panormum, sive in individuo, sive in specie, sive in æquivalenti: vel si habuisset Matrini, omnino fuisset ibi consumpturus, & nullo modo translaturus: si secundum, tenetur Paulus mittere eam summam Panormum propriis expensis cambi; quia ex mutuo in gratiam Pauli, quoad eas expensas emerit damnum Petro. Si primum, debet mittere expensis Petri; unde debet reddere deductis ex summa expensis cambi; quia nullum Petro emerit damnum ex mutuo; nam paræ expensas fecisset, aut paria pericula subiisset Petrus secluso mutuo, transfereudo illam Panormum; adeoque si mitteretur summa

ma illa expensis Pauli, Petrus reportaret lucrum ex mutuo, & sic usuram committeret.

QUANDO EST RESTITUENDUM.

2731. Præceptum restituendi includit saltem præceptum negativum non retinendi rem alienam, ratione cujus reducit ad septimum Præceptum Decalogi, Non furaberis: adeoque obligat semper, & ad semper, ita tamen, ut quoad actum internum, statim ac advertit quis, rem esse alienam, debet habere animum restituendi; quoad actum verò externum executionis non tenetur statim, ac advertit, sed capta temporis opportunitate; alioquin id advertens noctis tempore in lecto, surgere deberet ad restituendum. Quod si habeat animum non restituendi continuatum, manet in continuo peccato mortali, si res sit gravis; quoniam ex Aug. epist. 54. ad Macedonium: Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Si autem animus interrumpatur, ut si volens restituere, retractet voluntatem restituendi, tot peccata committit, quod sunt actus interrupti.

Qui est obligatus ex contractu, non tenetur restituere, nisi adimpletis conditionibus, & elapso termino in contractu præfixo; quod si, eo elapso, sit in mora culpabili, tenetur sub mortali ad restitutionem, imò ad omne damnum, & interesse: secus, si sit in mora per paucos dies.

Liberatur ab onere restitutionis, sive pro semper, sive ad tempus, si justa ad sit causa, de qua modo. Vide num. 2739. & 2740.

2732. Confessarius non debet absolvere poenitentem, qui tenetur statim restituere, si ter, vel quater eidem, aut alteri Confessario promisit restituere, & non servavit promissum; quia rem alienam detinens, quam restituere potest, est in occasione proxima voluntaria peccandi, non minus, quam qui detinet concubinam, quam potest abjicere.

CAUSÆ EXCUSANTES A RESTITUTIONE

2733. Sunt plures. 1. Impotentia physica, qua quis non habet quid restituere. 2. Impotentia moralis, quando quis restituere non potest sine probabili periculo damni altioris ordinis sui, aut suorum. Bona, in quibus homo potest damnum pati, sunt quatuor, animæ, corporis, famæ, & substantiæ corporalis; quorum unum est altioris ordinis altero, uti gradatim ponuntur; restituito autem cum sit ad ponendam æqualitatem, non est faciendâ cum jactura boni superioris ordinis; hinc restituito substantiæ corporalis non est faciendâ cum periculo prudenti peccati mortalis, vitæ, seu damni corporis, aut cum infamia. Vide num. 2727. tom. 2. à num. 113. ad. 118.

2734. Quæ causæ si sint perpetuæ, perpetuò excusatur quis à restitutione; si ad tempus, restituito suspenditur, seu differitur. Sæpè dilatatur tempus restitutionis ex rationaliter præsumpta voluntate creditoris.

2735. Qui habet justam causam differendi restitutionem, non tenetur ad damna, & interesse, quæ creditori ex mora sequuntur, quia non est morâ culpabilis. Si autem differat ad evitandum proprium interesse, tenetur resarcire interesse creditoris; quia non est æquum, ut debitor se servet indemnum cum damno creditoris.

2736. Item, si damnum, quod patitur debitor restituendo, non sit notabiliter majus, sed æquale damno, quod patitur creditor ex dilacione; tenetur debitor restituere statim; quia tunc potior est conditio creditoris.

2737. Celsio bonorum excusat in foro externo; in foro autem conscientiæ, qui celsit bonis, excusatur, non ratione celsionis, sed ratione impotentiae: unde, si perveniat ad pinguem fortunam, tenetur restituere.

2638. Tenetur quis sub mortali restitutionem differre, si prudenter judicet, restitutionem futuram in grave damnum creditoris, vel cum absurdum in grave damnum tertii, tunc vel cooperaretur ad malum.

QUÆRES I:

2739. Famulus rapuit à suo domino summam pecuniam per quamplures vias, unum circiter scutum pro vice, hic est gravatus familia, ut salarium vix ei sufficiat ad sustentationem: An teneatur statim capta temporis opportunitate restituere?

R Espondeo cum distinctione: vel iste retinet peccata pecuniam in individuo, & tunc tenetur statim restituere, quia si res extat, domino extat, & sicut peccat quis, etiam in gravi necessitate rem alienam furando, ut in num. 2637. ita rem alienam detinendo; & nemo debet sustentari de furto, nisi sit in extrema, aut quasi extrema necessitate, quatenus, si restitueret, reduceretur in extremam necessitatem. Vide num. cit. & num. 2744. Nec dominus tenetur dare salarium correspondens familiæ, sed labori famuli, num. 2643.

2740. Vel iste pecuniam domini miscuit cum sua notabili, ut discerni non valeat, & tunc, si totus cumulus extet, licet non tenetur restituere eandem pecuniam in individuo, cum per missionem ejus factus sit dominus, tenetur quamprimum restituere tantundem in specie de illo cumulo. Quod si in dies pecuniam de cumulo in magna parte consumpsit, ita ut summa modicæ considerationis remaneat, minor nedum pecunia surrepta, sed propria, quam eo tempore successive habuit, eaque pro tenui suæ familiæ sustentatione utatur; tunc Epikeia est utendum; non est enim cogendus, ut statim restituat totam illam modicam summam, quæ ex cumulo remanet; sed ut restituat paulatim, juxta propriam possibilitatem, uti discurrimus de eo, qui rapuit, & rem raptam consumpsit; alioquin in gravissimas reduceretur angustias: & ita rationaliter de domini voluntate præsumitur.

2741. Epikeja est, virtus faciens, ut legis rigore relicto, amplectamur, quod recta ratio dicit, & quod rationabiliter faceret superior, aut dominus, si adesses, aut sciret.

IN REBUS MIXTIBILIBUS.

2742. SI rem alterius, v. gr. frumentum, vinum, pecuniam ejusdem generis, &c. sine bona, sive mala fide cum tua notabili misceas; ita ut discerni non valeat; statim acquiris dominium ejus in individuo, nisi habeas animum explicitum, non acquirendi dominium: unde si furtivè miscuisti, non teneris ad restitutionem rei in individuo, sed in specie ex cumulo, si extet, aut in æquivalenti. Vide à num. 2347.

2743. Hinc, si à fure, qui triticum alterius cum suo immiscuit, emas, etiam mala fide, magnam tritici, imò totam quantitatem ex cumulo, ad nihil teneri, ait Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 3. cap. 3. de Reacc. s. 4. num. 27. in fine, quia fur vendidit ex suo, quoniam præfata mixtio transfert dominium, & æquivalent consumptioni; & solum remanet in fure onus ad restituendum per æquivalentem: Et ex alia parte emptor, cum solverit pretium, in nihilo factus est ditior. Idem ait, si eam dono accepisti, & fur sit aliunde potens restituere, quatenus alia possidet bona; quòd si non sit aliunde potens, fatetur, te teneri restituere; quia per donum, quod accepisti, fur factus est impotens tua causa, & tu ditior. Ita dicuntur Tamb. cit.

QUÆRES II.

2744. An possit quis licite restitutionem differre, ne cadat à suo statu, & conditione?

Resp. si status est injustè acquisitus, nempe ex furtis, ex bonis alienis injustè retentis, &c. non potest differre, sed tenetur restituere statim; quia per restitutionem non cadit è statu justè acquisito, sed ad priorem, & proprium redit. Et solum potest aliquid pro tenui sustentatione retinere, si alias in extremam reduceretur necessitatem; quia in hac licitum est aliena accipere. Vide num. 2637.

2745. Si autem status est justè acquisitus, licet ille debita contraxerit, & in necessitate reperitur ex propriis delictis, quia luxuriosè vixit, lusit, &c. tunc potest solutionem differre, ne notabiliter cadat è suo statu, si res aliena in individuo non extet, aut in pretio; nam si extaret ipsa pecunia aliena, aut gemma, v. gr. ex ea empti, esset statim restituenda. Ratio autem assertionis, si res non extet, est; quia tunc dominus non est rationabiliter invitatus.

2746. Licet autem debitores non teneantur notabiliter, seu excedenter è proprio statu cadere, tenentur ex justitia, nedum paulatim restituere, & solvere, verum etiam curare, ut non plus æquo solutionem differant; ac proinde debent non solum à ludis commellationibus, ac variis expensionibus se abstinere, sed etiam aliquod incommodum sentire; non enim notabiliter è suo statu cadere dici-

tur, qui tribus quadrigis gaudens, una privetur, atque competenter familiam reformet ad tempus ex quo quidem, tam apud Deum gratiam, quam apud homines prudentes splendorem haurire vulgarem consequitur.

Hic est scopolus, in quo sæpè Magnates, & infimul cum illis viri aequè docti, quam adulatores proprias conscientias frangant. Caveant Confessarii.

Scorus in 4. d. 15. q. 2. 5. De quarto, lit. 2. & q. 3. Malteus in Theol. Mor. disp. 7. & 9. Joan. la Cruz 7. prac. q. 17. per plures, art. Bonac. tom. 2. de Restit. disp. 1. Tamb. tom. 1. lib. 8. tract. 3. & 4. Bulemb. lib. 3. tract. 5. cap. 2. Diana in pluribus locis. Clericatus cap. 75. Mendo de Restit.

De Rest. pro Homicidio, Stupro, Adulterio, Bello, &c. vide in propriis titulis.

DE RESTITUTIONE FAMÆ.

2747. INjuria contra famam committitur. 1. Per actum internum, nempe per judicium temerarium; & hoc non obligat ad restitutionem, nisi manifestetur exterius alteri, non manifestatis indicii levibus, ut in num. 2664. 2. Per actum externum, nempe per contumeliam, detractioem, &c.

JUDICIUM TEMERARIUM

2748. EST, quo quis sine sufficientibus indiciiis certo affirmat aliquod malum de proximo.

2749. Ad hoc ut sit mortale, quatuor requiruntur conditiones. 1. Ut sit in materia gravi: gravitas autem, & levitas attendi debet, vel ex ipsa substantia materie, vel ex qualitate persone. Hinc veniale est, temerè judicare de Petro furtum unius julii, & de juvene parùm honesto, quod per locum aliquem transeat ad inhonestam, ac de milite ad vindictam hostis: non enim inferunt eis gravis injuria, eum de hujusmodi gloriari solent. Similiter veniale erit, de ignoto, aut de indeterminato temere judicare.

2750. 2. Ut judicium formetur tanquam moraliter certum. Hinc suspicio, dubitatio, aut opinio temeraria non est mortalis, sed venialis; quia cum sint actus imperfecti in genere judicii, nec totaliter tollant possessionem bonæ famæ, non censetur gravis injuria, nisi aliis manifestes. Nec erit mortalis, si manifestes uni, vel alteri probò, & prudenti, in quibus non est periculum famæ. Imò nullum erit peccatum, suspicionem manifestare superioribus, aut iis, quibus potes, ad grave malum vitandum, aut alio justo capite.

2751. 3. Ut judicium sit ex levibus conjecturis, nam si sit ex gravibus; & sufficientibus, judicium erit prudens, quod prudentià discernendum relinquatur. Ea dici possunt indicia levia, quæ ex communi hominum usu sunt indifferantia, aut rarò conjuncta cum tali effectu; ea verò sufficientia, & propor-

portionata, quæ ut plurimum solent cum eo esse conjuncta; ut si quis noctu per scalam fenestram occultè aperire tenter, est indicium sufficiens, eum judicandū furem; secus, si die, & publice; tunc namque potius judicari debet clavis amissa. Item non est gravis injuria certò judicare, quod est valde probabile, v. gr. juvenem inventum solum cum puella in cubiculo inhonestè tractatè.

2752. 4. Ut judicium sit plene deliberatum: hoc est cum plena advertentia temeritatis, & malitiæ gravis, & cum plena voluntatis libertate. De quo infra de peccatis.

2753. Et quia rarò omnes quatuor allatæ conditiones interveniunt, rarò judicium temerarium est mortale. Quando autem omnes interveniunt, est mortale; quia est gravis injuria proximo contra justitiam; sed non est opus explicare speciem mali judicati; quia omnia mala judicata uni justitiæ commutativæ in specie infima opponuntur. Vide n. 2757.

DETRACTIO.

2754. EX Divo Thoma est, aliena fama per occultata verba injustè lasio, & denigratio. Contingere potest dupliciter. 1. Directè, saluum crimen imponendo; vel verum, sed occultum revelando. 2. Indirectè, bonum proximi negando, vel malitiosè tacendo ex intentione nocendi famæ. Modi, quibus proximi fama læditur comprehenduntur his verbis:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens, Qui negat, aut minuit, tacuit, laudare remisit.

2755. Crimen fit publicum jure, vel facto: jure, si sit de eo lata sententia à Judice: factò, si sit commissum in multorum præsentia, aut in loco, vel tempore, v. gr. in foro, &c. ut sit faciliter promulgandum; vel si erat occultum, fuit tamen ab iis, qui sciebant, promulgatum, ita ut multi de eo loquantur; præsertim, quando crimen ad loquacium notitiam pervenit, & apud eorum linguas versatur. Universaliter publicum censetur, quando circumstantiis attentis, prudenter estimatur, crimen faciliter promulgandum. Vide tom. 2. num. 72.

2756. Gravitas attendi debet ex qualitate rei, & conditione persone. Hinc de Præfate optima: famæ, dicere; quod sit affectus mentiri, est grave contra famam.

Regulariter non est mortale revelare defectus naturales, v. gr. quod sit ignavus, stupidus, illegitimus, &c. nisi inde aliquod damnum sequatur; quia non sunt defectus morales culpabiles. Nec est mortale dicere defectus morales in generali, v. gr. esse superbum, iracundum, &c. quia prudenter de naturali inclinatione dicta censentur.

2757. Mortaliter peccas; & detrahis, si de determinata persona in generali dicas: Te scire quid de illo, quod si dicas, sis cum magno rubore affecturus. Non est mortale, de aliquo ignoto, vel indeterminato malè loqui, nisi redundet in aliorum dampnum.

Mortale autem de Monasterio Religioso in communi malè loqui. Non teneris explicare in quo genere detraxisti, quia fama est ejusdem speciei. Vide num. 2753.

Nec numerum personarum, quibus detraxisti: debes tamen dicere: Graviter detraxi pluribus. Aliàs non explicas peccatum, quod patraisti. Debet exprimi, si fuerit per libellum famosum; quia notabiliter aggravat, & lædit.

2758. Non est mortale revelare peccata mortalia proximi, quæ secundum hominum estimationem, sive ratione sui, sive ratione personæ, aut alterius circumstantiæ, non sunt infamatoria, nec aliud damnum inde sequitur, v. gr. de milite, aut nobili, quod duellum commiserit. Quod juvenis pro parùm honesto habitus sit fornicatus, &c. nam de similibus jactari solent.

2759. Non est mortale. 1. Si quis delictum infamatorium contra ipsum ab alio factum uni, vel alteri viro prudenti non divulgatum manifestet, quia non censetur lasio gravis. 2. Si illud contra se commissum amico referat, non animo lædendi, sed leniendi dolorem; quia humana conditio, non paritur, ut quis gravem offensam recipiat, & non se doleat, ac quærat solamen. 3. Si manifestes delictum occultum, quod moraliter certò seis brevè futurum publicum, vel per sententiam Judicis, vel per facti evidentiam. 4. Si infamem in uno delicto, de alio valde affini, seu connexo, aut quod personæ similis conditionis committere solent, infames, ut de lustore, quod sit blasphemus; secus, si de disparato.

5. Non est mortale, sed veniale, illud referre sub dubio, vel ex auditu, etiam si audiunt credant; quia id imputatur eorum levitati. Quòd si prævideat, auditores esse leves ad credendum, vel si id referat animo nocendi, tunc peccat mortaliter, sed contra charitatem, quia obligatur ad non inferendum alteri malum, sed non contra justitiam; quia talis actus non est ex natura sua ablativus famæ, nisi relatum firmes autoritate, dicendo: te id audivisse à personis fidedignis.

6. Similiter delictum in uno loco publicum, in alio, ubi est ignotum publicare, non est mortale, nec contra justitiam; quia per publicationem delicti in uno loco amittit jus ad famam: unde licet in loco remoto, ubi id ignoratur, habeat famam, non habet jus ad famam: nec contra charitatem, nisi fiat animo nocendi: hinc sine scrupulo videmus, delicta gravissima in uno loco publica, per historias, & typos usque ad remotissimas partes, ubi libri perveniunt, una cum ipsis reis publicari.

2760. Nullum est peccatum. 1. Manifestare delictum, aut vitium alicujus Superiori, Patri, &c. pro correctione. 2. Ad impediendum damnum innocentis; unde licitum est opportuno modo mone- re proximum, quod Petrus, qui ejus domum frequentat, sit fur, & inde caveat; quia illa non est offensio, sed defensio, nec quis habet jus ad famam

mam cum damno proximi. Vide tom. 2. num. 55. § 6. & 57.

2761. Peccat mortaliter, tam contra charitatem, quam contra iustitiam, qui alteri falsum crimen imponit, sive in iudicio, sive extra, ad elidendam detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, aut calumniam, vel ut suam iustitiam, & honorem defendat; quia mendacium est ab intrinseco malum, ut neque certo mortis periculo coonestari valeat ex num. 143. & 225. Imò in iudicio adesset perjurium; tam ipsius imponentis, quam testium, ad quod ipse principalis cooperari debet, testes subornando ad falsum. Hinc ait D. Thom. *Falsitatem proponere in nullo casu licet alicui adeoque, qui calumniam tibi imponit, habet jus strictum, ut non lædatur in fama, fraude, dolo, aut mendacio; quia mendacium infamatorium non est medium proportionatum ad defensionem cum moderamine inculpate tutelæ.*

2762. Unde tunc solum licitum est tibi crimen detractoris, seu calumniatoris occultum, sed verum, revelare, ut sic te defendas, & ejus calumniam elidas, reddendo eum inhabilem, mendacem, nullius fidei, &c. si alia tibi non suppetat via; quia tunc uteris medio proportionato ad defensionem, cum moderamine inculpate tutelæ. Quòd si alia tibi suppetat via ad defensionem, cum infamare non potes, neque jure compensationis, quia esset vindicta, juxta dicta à num. 2085. Vide in pag. 5. propof. 43. & 44. ab Innoc. XI. damn.

2763. Infamare seipsum, revelando occultum delictum sine rationabili causa, ex levitate, non est mortale, sed veniale, nisi id cedat in damnum, aut scandalum aliorum; quia sicut quis est dominus bonorum fortunæ propria industria acquiritorum, ita, & bonæ famæ, pariter propria industria acquirita, curus solum dicitur prodigium. Imò potest esse actus virtuosus, si fiat ob subeundam pœnam condignam, aut ob humilitatem, ut plures Sancti fecerunt.

2764. Venialiter, non mortaliter peccat, qui ad vitandam non leviam, sed graviam tormenta, sibi falsum crimen imponit, ob quod est morte puniendus, aut mutilandus; peccat venialiter, quia est mendax; non mortaliter, quia non est mendacium perniciosum, sed officiosum, non enim cooperatur morti directè, & per se, sed indirectè, & per accidens; directè verò vult gravia tormenta morti æquivalenti vitare; qua ratione licet infirmus mortem sibi eligit, ut sectionem membri, aut eruris declinet. Vide à num. 2075. Peccat autem mortaliter, si addat juramentum, ratione perjurii; vel si id cedat in damnum, aut infamiam alterius; quia non est dominus bonorum, aut famæ alterius.

CONTUMELIA

2765. **E**st injuria, qua alteri crimen, aut alius defectus in ejus presentia obijciunt, v. gr. appellando furem. Unde à detractioe differt, sicut rapina à furto, nam detractio lædit

proximum in absentia; contumelia in presentia; hinc illa lædit solum famam, ista verò famam, & honorem; adeoque est ex se peccatum mortale, nisi parvitas materiæ, aut defectus plena deliberationis excuset.

2766. Non peccat Superior, si subdito verbum contumeliosum obijciat, non animo inhonorandi, sed humiliandi, aut corrigendi, nisi excedat in modo. Sic Christus Apostolos stultos vocavit, & Paulus Galatas insensatos.

2767. In Regnis Hispaniarum contra quaslibet personas Ecclesiasticas, aut sæculares, quæ in pulpito, cathedra, typis, aut manuscriptis, contra Religionem, Religiosas personas, aut in censurandis opinionibus, injurias, & contumelias protulerint, Tribunal Supremæ Inquisit. Hispan. infligit pœnas excommunicationis majoris, exilii, & privationis officii, si quom in Sancto Tribunali gaudent, idque per tria decreta novissimè de anno 1696. die 19. Octob. ubi comprehenduntur omnes transgressores, typographi, & cooperatores, publicata Panormi die 6. Februarii 1697.

2768. *Convitiatio, & improprium* conveniunt cum contumelia; similiter *derisio, & subornatio*, quæ motibus injuriis corporis fieri solet. *Murmuratio* verò, & *suffragatio* cum detractioe. *Murmuratio* est, quæ quis factum aliquod publicum, quod potest in bonam partem accipi, in malam partem accipit, ut Lucae cap. 11. vers. 15. *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiecit Dæmonia.* Est mortalis, si habeat sciam detractioem gravem. *Suffragatio* est, *alioquin mala de proximo ad tollendam amicitiam ipsius cum aliis.*

RESTITUERE TENETUR

2769. **S**uffrago, amicitiam reconciliando: *Contumeliosus* honorem, vel petendo veniam, vel honorificè salutando, aut per aliam honorificam demonstrationem: *Detractor* famam, non minus, quam fur bona fortunæ, quia ex Prov. cap. 22. vers. 1. *Melius est nomen bonum quam divitiæ multe.*

2770. *Qui imposuit crimen falsum*, tenetur restituere famam, crimen retrahendo coram iisdem, apud quos fuit impositum, & eodem modo nempe publicè, si publicè; etiam si exinde ipse infametur; quia (ut ait Scotus in 4. d. 15. q. 4. lit. C.) fama detracti prævalet famæ detractoris, nam illi iuste competit fama, huic injustè; unde non est huic debita fama: *Et ideo directè ostendens innocentiam alterius, indirectè nocentiam sui, non tunc proprie diffamat se, sed amover falsam laudem, quæ ipse post accusationem mendacem indignus est.* Vide num. 2776.

2771. Bertaldus in 8. prac. ex Bonac. ait, esse valde amarum hunc restituendi modum: unde sufficere putat, si de persona infamata in generali dicatur: *Quod sit persona virtuosa, & honoris, & quod ii, qui mala dixerunt decepti sunt, & quod tempus id discernere faciet.*

2772. Si primi auditores alius divulgaverunt, tunc

tunc principalis detractor, si publicè diffamavit, etiam apud alios restituere famam tenetur; quia tunc ipsi imputatur totum damnum, & divulgatio. Excusare potest impotentia moralis, puta, si ad eam infamia divulgata reperitur, ut moraliter impossibile sit, restituere apud omnes. *Vide detractoris angustias.* Si verò occultè detraxit, tunc sufficit, si se retractet apud auditores immediatos; quia tunc illis divulgatio imputatur, qui non debeant crimen proximi ab uno privatum, & confidenter dictum aliis propalare, hanc esse Confessoriorum praxim observat de Lugo: *Eo namque ipso, quod detractor apud immediatos detractores se retractet, implicite illis committit, ut indicent aliis, si quibus forte revelaverint.* Maltrius.

2773. Eum, qui bona fide alium diffamavit, putans crimen esse verum, & publicum, solum tenetur restituere ex charitate, volunt plures, adeoque cum commode potest, & sine suo rubore. Verius tamen est, teneri ex iustitia, ut ex re accepta, cum par sit ratio. *Vide. n. 2691.* Nec video in ruborem, sed potius splendorem, si auditoribus dicas: *Te crimen illud manifestasse, quia putabas verum, & publicum, modo verò reperis falsum, & te deceptum.*

2774. Qui publicavit crimen occultum, non debet dicere, crimen esse falsum; quia mentiretur, & ob nullum bonum mendacium est licitum; sed sufficienter tibi restituere, docent D. Thom. & Scotus cit. lit. E. si dicas: *Non credatis eum esse talem, male enim dixi; vel laudando, dicendo eum esse bonum, præsertim laudando in ea specie virtutis, qua diffamasti, & tunc non mentiris; quia ex jure quilibet est præsumendus bonus, nisi certo constet, quod sit malus: subdit Scotus: Sed ipse non est probatus malus coram istis: ergo bonum est persuadere eis, quod ipsi non reputent eum indignum, nec malum.*

2775. Qui defunctum graviter diffamavit, peccavit mortaliter, & restituere tenetur, non suffragia, quia sunt altioris ordinis, sed ipsam famam modis jam relatius ipsi defuncto, ut hæredibus, si in eos infamia redundavit.

A RESTITUTIONE FAMÆ QUIS EXCUSABITUR,

2776. **P**rimò, si fama non sit ablata, quatenus auditores prudentes non crediderunt; quod contingere solet, quando detractor nullius est fidei, in quantum sæpè compertus est mendax detractor, ac loquax, & auditores sunt viri timorati, ac prudentes. Vel quando quis detrahit ostendendo passionem, iram, aut odium; tunc sæpè prudentes non credunt, sed judicant dixisse ex ira, passione, &c. quia tunc nullum sortitum est damnum. *Vide num. 2778.*

2. Quando proderit existimatur, infamiam esse oblivioni traditam; quia tunc cessavit damnum, & periculosus esset memoria delicti restitutione perfricari. Tempus, quo censerit possit oblita remittitur

prudencia Confessarii, & viri experti: id maxime colligi potest, si notabili tempore elapso, nulla sit facta mentio delicti.

3. Quando fama est alia via recuperata, v. gr. per testimonium alterius personæ fidedignæ, vel per vitam exemplarem.

4. Si delictum occultum, quod dixisti, fiat alia via publicum.

5. Si restituere non possis sine jactura boni altioris ordinis, puta animæ, vitæ, membrorum, vel famæ tuæ longè majoris valoris; hinc Prælatum non tenetur restituere famam personæ vili, nec vir valde illustri plebejo, si id non possit sine jactura propriæ famæ, sed sufficit, si infamatum laudet.

6. Si is, cui detraxisti, tibi pariter detraxerit, & non velit restituere; quia tunc uteris compensatione, si infamia non redundet in alios. 7. Si infamatus sponte condonaverit; quia est domus suæ famæ: at non potest quis condonare, si infamia redundet in alios, seu in aliorum damnum; quia est domus suæ, non alterius famæ, aut boni. 8. Quando restitutio est facta moraliter impossibilis; quia ad impossibile nemo tenetur.

2777. Quando quis est impotens ad restituendam famam, non tenetur eam pecunia compensare; quia fama cum sit altioris ordinis pecunia non potest ejus pretio compensari. *Vide num. 2770. & 2103.*

2778. Solitus infamare, seu detrahere, tenetur restituere, si lædat apud simplices, & idiotas; quia hi solent facilius credere, imò divulgare; unde tunc est verus famæ fur. Et tota ratio, quod non teneatur, si apud viros prudentes, ac timoratos detraxit, est, quia illi non credunt, & inde non est in re facta læsio, ut in num. 2779.

AUDIENS DETRACTOREM,

2779. **S**i detractioe gravi consentiat directè, videlicet inducendo, movendo, excitando, quodque fieri solet, etiam interrogando, peccat mortaliter, tam contra charitatem, quam contra iustitiam, sicut dictum est de eo, qui cooperatur ad damnum proximi in bonis fortunæ; unde ad restitutionem tenetur juxta ibi dicta.

2780. Qui solum consentit indirectè, non excitando, sed de ea complacendo, & se delectando, peccat mortaliter contra charitatem, quia delectatur de malo gravi proximi: sed non contra iustitiam, quia non est causa efficax damni famæ; nisi impediatur teneatur ex officio, ut est Superior. Imò etiam mortaliter peccat, si potens sine incommodo impedire, non impediat, sed audiat, etiam si non complacereat, juxta dicta de charitate erga proximum. Hic autem ultimus raro peccat mortaliter, quia regulariter causa excusans adest.

2781. Cause à mortali excusantes sunt, 1. Si detractio sit levis. 2. Si sit gravis, sit tamen coram uno, vel altero prudenti. 3. Si rationabiliter putas, auditores non

non creditos. 4. Si adverteas, tuam resistentiā, aut morionem non profuturam, quod contingere potest, vel quia audiens est longè inferior detractor, quia detractor est insolens; in a asensu, &c. imò sepe monitio potest esse excitatio ad majorem, aut ferventiorē detractionem. 5. Si non es moraliter certus, quod loquens loquatur injustè, & de gravi crimine occulto. 6. Si judicas, detrahentem habere justam causam, videlicet, ut consilium petat, ut summum dolorem leniat, ut te utiliter moneat, &c. 7. Si times grave damnum, vel graviter tua interest, te non reputari defendere insanatum. 8. Quando ex rationabili verecundia, aut pusillanimitate non audeas resistere, & infamia proximi non est in gravis, ut judices cum tanta tua difficultate impediatur. Ita fere Tamb. Ratio est, quia charitas non obligat eum gravi incommodo, sine necessitate, aut utilitate.

Scotus in 4. d. 15. q. 4. Maltrius in Theol. Mor. disp. 8. q. 3. Joan. la Cruz 7. & 8. præc. Bonac. tom. 2. de Resist. disp. 2. q. 4. 5. 6. & 7. Tamb. tom. 1. lib. 9. cap. 3. Busemb. lib. 3. tract. 6. cap. 1. Diana in pluribus locis. Mendo verb. Detrahitio. Clericatus cap. 104.

DE VIII PRÆCEPTO DECALOGI.

Non falsum testimonium dices.

MENDACIUM

2782. **E**ST, emunitio falsa cum conscientia operis, & cum voluntate fallendi. Est triplex: Perniciosum in damnum alterius: Jocosum ob delectationem, & Officiosum ob utilitatem. Perniciosum, si sit in damnum grave, est mortale; Jocosum, & officiosum regulariter est veniale, nisi sit adjuncta circumstantia, ob quam aliam virtutem à verita distinctam graviter lædat.

2783. Hinc venialiter peccat penitens, si negat peccatum veniale, quod commisit, aut fateatur, quod non commisit; quia solum veritatem lædit: at peccat mortaliter, si confiteatur veniale, quod non commisit, quodque sit materia totalis Sacramenti; quia cum nullam det veram materiam, facit Sacramentum nullum, & sic committit sacrilegium. Item à mortali non excuso Sacerdote, si dum sacris vestibus induitur, aut est indutus, proximè celebraturus mentiar, ob scandalum, quo audiens, mendacium advertens, posset Sacerdotes contemnere, & viles habere. Vide num. 143. & 1559.

TESTIS

2784. **Q**UI falsum testatur est sciens, tenetur se retractare cum æquali; & paulò majori suo damno; quia in æquali damno potior est ratio innocentis. At non tenetur se retractare, si sit mortaliter certus, retractationem non profuturam; quia nullus obligatur ad opus inutile; nec si testis fuit ultimus, & reus reperitus sit convictus per alios testes. quia tunc non est causa efficiens damni. Nec cum suo damno longè altioris ordinis. Vide num. 2776. circa medium. Si vero falsum testatur est ignoranter, inadvertenter, & si

ne peccat mortali, tunc tenetur se retractare; at non cum notabili suo damno, etiam minori, sed est discurrendum, sicut de restitutione ex re accepta. Vide num. 2691.

De Reo, & Teste vide à n. 1740. & 1764. & fuisse in tom. 2. à n. 27. usque ad finem capit. præsertim n. 73.

CASUS DE INSTRUMENTO:

2785. **P**etrus amisit quoddam instrumentum publicum, & legitimum, v. gr. Testamentum, &c. an peccet graviter, si aliud simile privatim conficiat?

Resp. in foro externo hunc præsum falsarium, & puniri; quia de veritate non constat. In foro autem conscientie (de quo est sermo) non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter, docet Ardelekim tom. 2. part. 2. tr. 1. cap. 3. q. 13. pag. 149. cum Mendo in Statuta, dissert. 13. q. 17. Navar. cap. 17. n. 163. quia nulli damnum, aut injustitiam infert; sed solum peccat contra veritatem, non facti, aut scripturæ formalis, sed scripturæ materialis; quatenus proponit, scripturam illam materiale credendam esse instrumentum autoritate publica primò confectum. Plures apud Ardelekim eum à veniali, & à mendacio exculant. Idem tenent Bausius, & Sà, upud Anton. à Spir. s. tract. 5. de Jur. d. 1. sed. 9. n. 54. qui eos sequitur tantum quoad privatas scripturas; At in consultis pag. 117. nostrum sententiam probabilem vocans pluribus rationibus, & Authoribus confirmat.

SECRETUM NATURALE

2786. **I**mponitur, vel expressè, ut: Tibi dico sub sigillo confessionis, sub secreto naturali, ut nemini dicas, &c. vel implicite: Tibi dico, ut amicus pro consilio, ut dolorem leniam, &c.

2787. Obligat sub mortali, si res sit gravis considerationis, & ejus violatio cedat in grave damnum, aut in gravem displicitiam ejus, qui secretum commisit; quia tunc violatio secreti valde nocet societati humanæ, & est gravium discordiarum causa. Quod est verum, etiam uni, vel alteri viro prudenti dicas, si qui secretum imposuit, iis specialiter non voluerit secretum revelandum. Idem dic de litterarum injuriosa aperiitione, nisi prudenter præsumas auctorem litterarum non invitum, aut nisi id facias, ad vitandum grave damnum injustum, quod inde prudenter times.

2788. Magis peccat Secretarius, & Notarius publicus, qui tenentur ex officio, & sub juramento ad secretum. Non est peccatum revelare secretum naturale, etiam juratum; ad impediendum damnum publicum; aut tertie personæ innocentis, seu si secretum sit de delicto patrando. Est autem mortale illud revelare, si damnum sit jam secutum, & non pendeat in futurum. Vide n. 126. 1704. à 1733. ad 1736. 1633. 1696. & 1697. & tom. 2. num. 55.

Scotus in 4. d. 15. q. 4. lit. F. Maltrius in Theol. Mor. disp. 11. q. 9. Joan. la Cruz Supra. Busemb. lib. 4. cap. 3. dub. 4. 6. & 7. lib. 5. cap. 3. dub. 2. num. 6.

PARS

PARS TERTIA.

DE QUINQUE PRÆCEPTIS ECCLESIAE.

DE I. PRÆCEPTO.

AUDIRE MISSAM DIEBUS DOMINICIS, ET FESTIS DE PRÆCEPTO.

2789. **F**ideles, postquam ad usum rationis pervenerint, qui regulariter post septennium expletum præsumitur, tenentur sub mortali audire Sacrum diebus Dominicis, & Festis de præcepto.

2790. Ad satisfaciendum huic præcepto quatuor requiruntur. 1. *Præsentia mortalis.* Hinc nec est necesse, quod actu audiat Sacerdotem, aut videat; nam mutus, surdus, aut ob multitudinem populi distans, ut actu nec audiat, nec videat, satisfacit, si Sacrificio sit præsens, adeoque per auditionem Missæ, intelligitur actio, qua quis Sacrificio est præsens, ei quæ assitit modo humano, corpore videlicet; & mente, & in tali distantia, ut possit Sacerdotem videre ejusque ministerium, & actiones attendere. Unde non satisfacit, qui è fenestra suæ domus extra Ecclesiam sitæ, Missam, quæ intra Ecclesiam celebratur, audit; quia non est moraliter præsens. Assirunt tamen Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 1. num. 14. & Clericatus cap. 109. num. 7. Similiter, nec qui extra januam Ecclesiæ positus, eam audiret; nisi id contingeret ob multitudinem nimiam populi, quam Ecclesia capere non valet; quia tunc censetur moraliter præsens ratione conjunctionis cum multitudine, cum qua constituit unum corpus morale sicut delium Sacro præsens, & assitens.

2791. 2. *Intentio.* Requiritur, inquam, intentio audiendi Missam saltem virtualis, aut interpretativa; quam vide in tom. 3. in Exam. Ordinand. à num. 206. unde qui in Ecclesia est præsens Sacro, non animo audiendi Sacrum, sed expectandi amicum, non satisfacit; quia actio illa intentionis est pure casualis, externa, & non humana; Ecclesia autem præcipit actum humanam, ac proinde voluntarium, seu actum mixtum ex externa auditione, & interna volitione. Vide num. 184.

2792. E contra, si audis, habens intentionem audiendi, non tamen satisfaciendi per illud Sacrum præcepto, sed ob devotionem; si postea aliud Sacrum non audias, satisficisti præcepto; quia præceptum vult auditionem humanam, animus autem non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, non facit, quin auditio illa fuerit humana. Tam quia aliud est loqui de animo non satisfaciendi præcepto hac, vel illa auditione Sacri, aliud de animo absolutè non satisfaciendi præcepto, quia hic, ut potè exclusivus actionis præcepta, est mortalis. Vide num. 185.

2793. Item, qui audit Missam ob devotionem,

ignorans esse diem festum, si postea advertat, non tenetur ad aliud Sacrum, quia jam satisfecit, tam ob allatam rationem, quam ob virtuales intentionem satisfaciendi.

2794. 3. *Attentio.* Requiritur sub mortali. Diana, Card. de Lugo, Tamb. & alii volunt, sufficere solum attentionem externam, quatenus, dum quis assitit Missæ, non occupetur in aliqua actione externa moraliter impossibili cum auditione, v. gr. pingendo, scribendo, confabulando, &c. adeoque non obitare solum internam distractionem mentis etiam voluntariam; quia Ecclesia præcipit auditionem externam; & orationis substantia non dependet ab attentione actuali interna.

2795. Dico tamen, sub mortali requiri attentionem internam. Maltrius cum Cajetano, & Bonac. quia Ecclesia præcipiendo auditionem Sacri præcipit actionem humanam religiosam, qualis non est, nec auditio Sacri, nec oratio sine ulla profusa attentione interna, sed cum omnimoda voluntaria distractione interna. Omnino vide dicta à num. 186. & à num. 434.

2796. Attentio verò interna est triplex. 1. *Qua attenditur ad actiones Sacerdotis.* 2. *Qua attenditur ad significationem verborum.* 3. *Qua inde mens ad Deum elevatur, contemplando videlicet mysteria, quæ per actiones, aut Sacerdotis verba exprimentur.* Secunda attentio est melior, tertia est optima, sed sola prima est necessaria. Quia præceptum de auditione Missæ, non est de oratione, sed de assitentiâ Sacrificio. Requiritur igitur, ut saltem virtualiter, & ia confuso attendas ad actiones Sacerdotis. Unde est mortalis voluntaria distractio notabilis; sed si sit involuntaria, ut sæpè contingere solet; aut voluntaria, sed brevis. Vide à num. 441.

2797. 4. *Integritas:* unde mortale est partem notabilem omittere. Parvam partem putant communiter Doctores omittere à principio Missæ usque ad Epistolam exclusivè, & à communionem exclusivè usque ad finem; alii usque ad Evangelium exclusivè.

2798. Non satisfacit præcepto, sed mortaliter peccat, qui duas, aut quatuor Sacri partes simul à diversis celebrantibus audit; imò proposito affirmativa est damn. ab Innoc. XI. vide in pag. 5. Prop. 53. quia præceptum est de audienda una integra Missa; quæ declaratio satis colligitur ex ipsa damnatione Pontificis ex Cathedra loquentis; qui enim plures partes Sacri simul à diversis celebrantibus audit, non

Kk

di